

etiam peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. » Sic vocantur philosophi et theologo, qui student philosophiæ et theologiæ, licet adhuc multa nesciant.

De secundo sanctus quidam doctor, ut refert Sornel. in c. IV. Gen. ait: *Quidquid toto corde, tota intentione, toto desiderio vis, id est certissime, suadetque si magna dare aut facere non potes, magnam saltem habeto voluntatem, eamque ad immensa extende: et S. Augustinus, tract. IV. in ep. 1. Joan. « Tota vita, inquit, boni Christiani sanctum est desiderium proficiendi. Hic sinus noster est, hic saccus, et quia angustus est, extendendo facis capaciolem. »*

V. Si non ea præcise quæ præcepta sunt, studeat adimplere, sed aliqua etiam quæ consilij sunt, vel si præcepta in majori rigore, quam præcepta sunt, conetur implere. Optimus ille servus est et perfectus, qui non tantum mandata exequitur domini, sed qui nutibus etiam domini paret et propensionem ejus se accommodat, quales tres illi fortes milites Davidis, qui dicente David: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem!* statim irruerunt per media Philistinorum castra et attulerunt aquam, II. Reg. XXIII. Et licet non obligemur ut omnia media possibilis ad ei servendum adhibeamus, obligamur tamen omnes, ne terminum statuamus, vel obicem ponamus christianæ perfectioni, velut si diceremus: Satis mihi est ipsa præcepta servare, nolo ullum ex consiliis amplecti. Talis enim sermo vel cogitatio occluderet portam Spiritui sancto ad consiliorum observantiam impellenti. Deinde, qui tam parce cum Deo agit, ut non det, nisi quod debet, ostendere videtur, se etiam illud ægre dare, quod debet. Et contra si plus quam præceptum est, facere conemur, fiet inde primo, ut simus remotiores a maculis culpæ et transgressione mandatorum: non enim furabitur aliena, qui propria libenter largitur: procul erit ab ulciscenda injuria, qui percutienti præbuerit alteram quoque maxillam: non facile negliget audire missam diebus festis, qui studet audire quotidie: non negliget confiteri et communicare in paschate, qui sæpius id agit per annum. Ut enim ante muralia defendunt muros, sic consiliorum observatio securiorem reddit præceptorum observantiam. Secundo, ut facilius observentur præcepta. Ut enim volucris, cum utramque habet alam, facile per aerem librat corpus: quæ tamen si unam tantum habeat, difficulter vel in ipsa terra ambulat: cum sola sit onus, utraque vero levamen. Ita qui statim solum ea servare quæ præcepta sunt, cum magna molestia ambulavit et versabitur in peccato cum ipso onere in terram decidendi; qui

autem præter præcepta conatur etiam pro viribus aliqua saltem servare consilia, facile servat præcepta. Audiamus porro qui hæc de re prædicet Dominus in præclaro illo sermone, in quo summam perfectionis christianæ comprehendit: « Audistis, inquit, quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram, et ei qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit a te, da ei, et volenti mutare a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est. » O fidelem sermonem et omni acceptione dignum! Sed pro dolor, quam alienum a moribus Christianorum hodiernorum!

VI. Si conetur pro viribus etiam venialia peccata vitare et leviores defectus. Licet enim hæc leves culpas evitare omnes non possimus (nam etiam perfectissimi tales habent) omnes tamen tenemur omnem adhibere operam ut eas evitemus, et conari ut: *Simus integri, in nullo deficientes*, ut ait Jacobus, c. 1. Bonus enim servus studet nec in parvis quidem offendere herum. Et qui nollet esse sollicitus de venialibus vitandis, eo ipso mereretur tandem a Deo deseri ut in mortalia laboraret? juxta id Eccl. XIX. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Non est verus amicus, qui deliberate vellet amico infligere vulnus leve, etsi non lethale; imo omnino amicus non esset: sic qui non vellet adhibere curam, ne offendant Deum venialiter, hoc ipso convinceretur non esse amicus Dei. Similiter non est bonus famulus qui non obsequitur domino, nisi quando is gladium in eum stringit. Talis est, qui venialiter peccare non timet (licet sciat se propterea mittendum in purgatorium) sed tantum mortaliter, quod meretur infernum.

At Deus bonus! quare rari inveniuntur, qui hæc observant? Quam pauci sæculares qui huic perfectioni student. Nam imprimis, quare vile committunt gravia peccata pro modico parando, vel damno avertendo. In lege veteri

CONCIO VI.

EXAMINIS CONSCIENTIÆ QUOTIDIE FACIENDI INCITAMENTA ET RATIO.

I. Incitat exemplum præclarorum virorum. — II. Periculum. — III. Anceps nostra negotiatio. — IV. Nocturnæ dæmonis insidiæ. — V. Utilitas unde proveniens. — VI. Facilitas et modus examinandi se.

THEMA.

Piscatores autem descenderant et lavabant retia.

Luc. V.

Tam nobile et sublime studium docent nos hodierni piscatores, uti merito dubitem, num id meis auditoribus proponere ad imitandum, et de eo verba facere debeam. Vereor enim ne mihi eveniat, quod hodie evenit piscatoribus dum tota nocte laborantes nihil ceperunt: ne inquam tota hora de hoc studio loquendo, nihil omnino capiam. Sed quod tandem hoc est studium? Examen conscientiæ quotidie faciendum: quod in hodierno evangelio per mysterium docent piscatores, dum peracta piscatione descendunt et lavant retia sua. Quid enim hoc monet aliud, quam ut peractis diei negotiis, descendamus ex sæculi negotiis et turba in cor nostrum, et rete conscientiæ nostræ perpurgemus, fæces et sentes peccatorum excutiendo? Sed videor mihi jam videre, qui nasum corrugent et fugiant antequam rete laxent in capturam; putant enim hoc exercitium religiosorum esse, non sæcularium. Qui tamen, ut verum fatear, nescio qua Christiani sint, si id amplecti nolint. Juvat igitur de hoc aliquid dicere, et in nomine Domini laxare retia. Proderit saltem hoc omnibus ad bonam præparationem ante confessionem faciendam.

I. Incitare ad hoc debet exemplum præclarorum virorum. Imprimis Genes. XXIV. Isaac, eo ipso tempore quo expectabat sponsam sibi adducendam, deambulabat per viam, quæ ducit ad puteum, cujus nomen est: *Viventis et videntis, et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die.* Quod loco non tantum exemplum sed etiam figura exprimitur hujus examinis. Meditatio enim illa fuisse videtur ejusmodi examen aliquod; siquidem Septuaginta vertunt ad exercendum. Instituitur autem recte hoc exercitium ad puteum *viventis et videntis*, id est, ad meditationem putei tartarei et judicis Dei viventis omniaque videntis: et *inclinata die*, ut rationes colligantur præteritarum actionum. Habemus secundo, magistrum hujus examinis Davidem, qui Psalm. LXXVI. ait: *Meditatus sum nocte cum corde meo et exercitabar et scopebam spiritum meum*, id est, scopis verrebam et agitabam, seu

dictum erat: *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel*, Deuter. XXIII. Et quam multi inter Christianos tales? Secundo, quam parum curantur, venialia, mendacia, turpiloquia, execrationes, etc. Apostolus, ad Eph. V. dicit: *Fornicatio et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos: aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Et hæc tamen quam sunt communia? Tertio, quam pauci advertunt in se peccata sua, et studeant emendare et punire? Quarto, quam pauci impugnant vitia sua? Imo quam multi nesciunt se idcirco militiæ christianæ adscriptos, ut concupiscentiam suam doment? Plerique omne id sectantur, quod placet appetitui, et sensibus ducuntur. Quinto, quam exiguus conatus proficiendi? Sexto, quam nullum consiliorum studium? Et hinc tam pauci sciuntur sancti laici. Scimus aliquot reges, Ludovicum in Gallia, Eduardum in Anglia, Casimirum in Polonia, Wenceslaum in Bohemia, Stephanum in Hungaria, Henricum imperatorem. Sed quam pauci respectu malorum? Fuit inter cives Cremonæ Homobonus nomine, tam bonus et tam integer cum uxore sua vivens, ut Innocentius papa III. statim a morte declaraverit eum beatum. Sed ubi plures tales cives? Fuit inter rusticos, S. Isidorus, vir tam innocens, ut civitas illa celeberrima et regia Madritum eum sibi patronum elegerit, et Gregor. XV. nuper eum sanctorum catalogo adscripserit. Sed ubi alii tales agricolæ? Quod si tantam attingere sanctitatem, quantam isti, non possumus, conemur saltem ad communem illam omnibus præceptam. Et imprimis sciamus nos non esse perfectos, adeoque dicamus cum Petro: *Domine, per totam noctem laborantes nihil cepimus: et cum apostolo: Fratres, ego me non arbitror comprehendisse: secundo: Duc in altum: exerce te ad heroica virtutum opera, refrænando appetitus et passiones, superando difficultates, quæ in virtutibus se objiciunt: tertio, aspice ingentem capturam, id est, bravium supernæ vocationis, majus et majus pro qualitate pugnantium. Tum scrutare fundum animæ tuæ seu radicale vitium tuum, e quo cætera pullulant, et statue firmiter id extirpare, ad hoc conare quotidie, et hodie incipe, quia vita brevis, ars longa, æternitas interminabilis; ut possis dicere: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.**

scrutabar: ad instar nimirum illius mulieris parabolicæ in evangelio, quæ perditam drachmam ut inveniret, accendit lucernam et everrit totam domum. Sic David perditam suam quærebat animam; factumque ut inveniret. Idem non contentus erat indagare sua peccata, eadem mox in se puniebat. Ait enim Psalm. VI. *Labravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum et lacrymis meis stratum meum rigabo.* Accedit tertius magister; Chrysostomus, hom. XXI. Psalm. L. ait: « Quando accubueris super stratum tuum et neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem, conscientiam tuam, et reminiscere peccata tua, si quid in verbo seu in facto vel in cogitatione peccasti. » Sic ille. Idem suadet vespere et mane faciendum S. Ephrem, to. III. ser. ascet. idem omnino ex more majorum S. Dorotheus, doctr. XI. id ipsum monet S. Bernardus, l. de vita solit. S. Basilius, serm. common. ad mon. imo magistrum et auctorem habemus ipsum Deum, qui cum consummasset omne opus suum: *Vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Gen. 1. Recognosce ergo et tu opera tua, quisquis es Christiane, post exactum diem, vide qui tibi placeant. Neque desunt ethnicorum etiam exempla. Nam Cicero de senectute scribit, Catonem Censorinum more Pythagoreorum quotidie rationes vitæ peractæ a se exegisse. Seneca etiam, lib. III. de ira, c. XXXVI. scribit: « Animus quotidie ad rationem reddendam est vocandus. Faciebat hoc Sextius ut consummato die cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es? » Subjungit deinde de se: « Utor hac potestate et quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est et contigit uxor, moris jam mei conscia, totum diem mecum scrutor facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipsi abscondo, nihil transeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es, noli postea congregari cum imperitis, etc? » Idem, ep. XXVIII. ait: « Quantum potes, teipsum coargue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissime deprecatoris aliquando te offende. » Sic ille. Phocylides, Stobæo, ser. VI. testante primus omnium docuit mortales seipsum quotidie ter ad tribunal conscientie per examen ejus citare: Pythagoras quoque duorum maxime temporum rationem habendam præcepit, vespere et mane, seu quid gesseris et quid acturus sis. Unde illud Pythagoreum: *Quid quoque die diæris, audieris, egeris. vespere commemorare,*

Laert. in Pythagora, S. Hier. l. III. apol. contra Ruffin. c. X. Non miramur horum ethnicorum studium? Et hoc illi faciebant vel solius virtutis amore, vel humanæ laudis gratia. Nihil sciebant de districto Dei iudicio, in quo omnia nostra opera ad trutinam revocanda essent; nihil noverant de inferno, peccatorum supplicio; nihil de benefactorum æternæ præmio. Quid fecissent, si hæc talia scivissent? Quod ergo fecerunt idololatræ, non facient Christiani?

II. Periculum, multi enim subita morte sine pœnitentia moriuntur et æternum pereunt: non perituri, si prius vera cum contritione examinassent, et peccata sua planxissent: *Momentum vita est, sed pendet ab hoc momento, sive perenne bonum, sive perenne malum,* ut canit quidam. Quod si intra decem annos uni tantum ex hac civitate contingeret, ut repente hinc decederet sine pœnitentia, nonne omnes merito timere deberemus? Atqui hoc intra unum annum pluribus evenire solet. Quanta ergo negligentia est, sine prævia contritione somnum, qui frater et imago mortis est, capere, quando tam facili medio providere nobis possumus? Dicite quaeso. Cur solent in munitionibus perpetuæ agi excubiæ? Nonne quia periculum est, ne una hora perdatur munitio, quæ plurimis annis recuperari nequeat? Atqui una noctis hora perdere vitam et salutem potes, si sine contritione eas cubitum, quam in æternum reparare nequeas. Nonne igitur singulis noctibus vel diebus ad excubias ducere milites tuos, intellectum, voluntatem, memoriam debes, eosque in aciem disponere, ut mortem adventantem sine metu excipere queant? Ad quid, quaeso apostolus dixit ad Ephes. IV. *Sol non occidat super iracundiam vestram?* Nonne quia incertum est oriturum tibi altero die solem? Intellexit hoc senex ille Messodanus, qui cum ab amico in crastinum invitaretur, respondit: « Quid me vocas in crastinum, qui a multis annis crastinum non habui, sed mortis adventum in dies expectavi, quæ nunquam nobis non insidiatur, donec tandem incautos opprimat? » Refert Guido Bituric. ex hist. eccl. ideo Dominus monuit Luc. XII. *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.* Teste etiam apostolo, 1. Thess. V. dies Domini. *Tamquam fur veniet.* Quis autem nescit fures ut plurimum venire de nocte, eoque tempore furari, quo minime expectant homines?

III. Anceps nostra negotiatio, maximum habens momentum. Mercator certe, vespere computat acceptum cum dato, quid perdidit, vel lucratus sit. Similiter et lusor, qui tota die lusit, vespere numerat pecuniam; quanto magis id facturi, si scirent, qua ratione perditam pe-

cuniam recuperare possent? Nos tota die mercamur et ludimus cum diabolo, et quidem de rebus ad salutem pertinentibus, et modo lucratur, modo perdimus. Cur ergo vespere non sedemus, et computamus lucrum vel dispendium? In examine conscientie inspiciamus chartas diaboli lusorias, quibuscum nos vult et solet vincere, ibi detegimus fraudes, quibus nos in mercimoniis suis decipit. « Quare diebus singulis, inquit S. Ephrem Syrus, tom. III. in serm. ascet. vespere et mane diligenter considera, quo pacto sese habeat negotiatio tua ac mercimonii ratio; et vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina teipsum ac dicit: Putasne hodie Deum in aliquo exacerbavi? Numquid verba otiosa protuli? Num per contemptum negligentiamve peccavi? Num fratrem irritavi? Num cui detraxi, etc? » Deinde, deprehensis peccatis jubet ea deseri, moxque subdit de matutino examine: « Et facta jam diluculo rursus eadem tecum meditare et dicit: Quomodo, putas, ista nox præterit, numquid improbat et sordidæ cogitationes invaserunt me, atque illis libenter immoratus sum? » Deinde, ipsa opera nostra bona multos sæpe habent naevos imperfectionum: unde ad incudem revocari debet, quia Dominus ait Psalm. LXXIV. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Accipe ergo et præripe tu tempus ad hoc faciendum, quia: *Si nosmetipsos diducaremus, non utique iudicaremur,* ait apost. 1. Cor. XI.

IV. Nocturnæ dæmonis insidiæ, nocturno enim tempore principes tenebrarum magis insurgunt, et qui tenebras diligunt, in tenebris maxime insidiantur, cum semisopiti sensus et a laboribus ad quietem avocata membra sunt. Scimus dæmonem noctu septem maritos Saræ suffocasse, suffocaturum etiam Tobiam, nisi angelus eum custodisset, Tob. VIII. scimus angelum (quem Hier. in c. XXIV. Isaiæ credit fuisse malum) media nocte primogenita Egypti interfecisse, Exod. XII. S. Antonium a dæmonibus nocte diris variisque tentationibus exagitatum, scribit S. Athanasius: S. Hilarionem sub mulierum specie ab iisdem nocte vexatum, scribit S. Hieronymus: plura hujusmodi nocturna dæmonis machinamenta narrat Sulpitius, Palladius Sozomenus, Evagrius. Quid igitur opus est? Muniendus contra hunc hostem lectulus noster prævio examine. De Salomonis lectulo dicitur, Cant. III. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Ergo suum quisque lectulum muniat eum Salomon e conscientie discussione,

dolore de peccatis, proposito emendationis, veniæ precatone, addita aliqua satisfactione, et divinæ opis imploratione. Qui sex milites satis nos custodient contra timores nocturnos.

V. Utilitas inde resultans. Primo, per hoc enim exercitium redditur homo cautior, dum reflectit se, in quibus fuerit periculis, quam facile potuisset effugere hoc vel illud peccatum, quam temere egerit, etc. sicut cum uxor viro edormita crapula in memoriam revocat, quid fecerit in ebrietate, uti faciebat Abigail viro suo Nabal, et S. Monica marito suo: unde Seneca, l. III. de ira, capite XXXVI. subdit: *Destinet ira, vel moderatior erit, qui sciet sibi quotidie ad iudicium veniendum.* Sic maritus redditur cautior, post concionem uxoris in ebrietatem ejus detonantis.

Secundo, peccata in memoriam revocamus: *Peccamus multum,* inquit S. Dorotheus, serm. XI. *et obliviscimur cito;* quare necesse est, frequentissime ac singulis horis nos ipsos exquirere, rimari ac perscrutari diligentissime. Hinc postea facile et accurate possumus instituire confessionem: dolorem etiam concipimus de peccatis, et ita redimus in gratiam Dei per contritionem. Scimus ex Domini parabola diabolum devorare semen verbi Dei, quod patimur secus viam cadere, seu a mente nostra excidere. Pari modo ille devorabit peccata nostra, memoria retinebit sedulo, quæ nos ex incuria obliviscimur, et exprobrabit in die iudicii. Huic igitur, jaeturæ occurrit examen conscientie.

Tertio, securitatem quamdam et lætitiâ acquirimus. Vidit hoc ipsum Seneca, qui loco indicato mox subjungit: *Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? Quam tranquillus, quam altus ac liber?* Hinc Psalmista dixit: *Ad vespere demorabitur fletus et ad matutinum lætitia,* Psalm. XXIX. Sic crocodilus vespere aquis se immergit, mane emergit, apud Pier. lib. XXIX. Suavissimum pulvinar est bona conscientia, in qua Christus suaviter dormivit sub ipsa tempestate maris, dum apostoli interim trepidarent. Sano lectus est dulces fomentum ægro vero est tormentum; sic et conscientia animo a vitis libero et sano suavissimus est thalamus; jacenti vero in peccatis catasta et equuleus. Uti David: *Lavabo per singulas noctes lectum meum,* inquit Psalm. VI.

Quarto, per hoc spiritum recolligimus et debilitatum fortificamus, dum renovamus propositum recte vivendi. Horologii director vespere vel etiam mane quotidie ascendit turrim, pondus horologii attollit, quod paulatim delapsum erat. Ita, quia inter homines et quoti-

diana animæ prælia subinde decidimus ac debilitamur : ideo quotidie saltem semel, si non mane et vespere, attollendum pondus carnis nostræ et spiritui subjiciendum : *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam*, inquit Sapiens, cap. IX. *et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. In navigii sentinam semper aliquid aquarum influit per latentes rimulas, quare nisi crebro exhauriatur, tandem lemergat navem necesse est. Pari ratione quia semper aliquid pravi operis nobis subrepat, necesse est ut animum crebro evacuemus.

Quinto, hinc fiet, ut quotidiana errorum nostrorum pœnitundine vitia et pravi habitus seu consuetudines, altiores in nobis radices agere nequeant; quemadmodum nec in horto herbæ inutiles, cum hortulanus quotidie inspiciat ortum suum, et evellere eas satagit. E contra evenit, cum examen id negligitur, teste Sapiente, Proverb. XXIV. *Transivi per agrum hominis pigri, et per vineam stulti, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ et maceria lapidum destructa erat*. Sic enim conscientia illius, qui nunquam eam discutit, evadit quasi desertum et oppletur vitiiis, fitque habitaculum serpentum et bufonum. Ligo igitur examinis semper ad manum habendus.

VI. Accedit hujus exercitii facilitas, quæ in quinque punctis consistit.

Primo, gratias Deo agito, pro beneficiis generalibus, specialibus, singularibus; maxime illius diei.

Secundo, pete lumen a Deo, ad cognoscenda peccata. Sic mulier illa accendit lucernam, ut drachmam perditam inveniret, Luc. XV. Cæci in nos ut plurimum sumus, aliena potius quam nostra peccata cernimus. Unde David dixit: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem*, Psalm. XXXIX. Cœleste igitur lumen ad nos ipsos cognoscendos a Deo impetrandum.

Tertio, conscientiam disquire. Convoca debitores, dicens singulis actibus suis: *Quantum tu debes Domino meo?* Percurre cogitationes, verba et opera, quinque sensus, septem vitia capitalia, decem præcepta, vel actiones singulas de hora in horam.

Quarto, excita in te contritionem et pete veniam, ac confitere Deo, dic cum debitore illo: *Patientiam habe in me, omnia reddam tibi*.

Quinto, propone emendationem et pœnitentiam tibi impone, media emendationis disquire et amplectere. Hanc doctrinam tradere nobis videtur Jeremias, cap. XXXI. cum ait: *Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines, dirige cor*

tuum in via rectam, in qua ambulasti. Stateit sibi speculum, qui parat sibi cœleste lumen, quo videat statum conscientiæ suæ. Inde speculatur, qui omnes vias et angulos cordis sui circumspicit, et fures animæ suæ insidiantes pervestigat, ponit sibi amaritudines, quæ de peccatis suis conteritur, eaque amare deflet. Dirigit cor suum in viam rectam, qui proponit emendare vitam suam.

Quod si hoc iudicium grave tibi videtur, compara id cum iudicio Dei, tecum aliquando instituendo: et invenies; quod si rem grandem tibi dixissem, certe facere debebas, quanto magis cum dixi, ut lavares te semel per diem in Jordane hujus examinis? Quomodo suaserunt servi Naamano, IV. Reg. IV.

Quare auditores, non desimus nobis in tam utili studio, quod ad vitam bene ac beate instituendam utilissimum est compendium. Imitemur Moabitudem illam Ruth: *Quæ colligit in agro, (spinas) usque ad vesperam, et quæ collegat virga cædens et excutiens invenit hordei modios tres*, Ruth. II. Occupationes et negotia nostra spicilegium quoddam sunt. Spicas quidem honorum operum et cœlestium meritum forsitan querere per diem intendimus: sed interim multas etiam paleas una cum illis colligimus, actus inquam steriles et vitiosos purgatorio, vel etiam tartareo igne dignos.

Quare ad vesperam diei excutiendus est fasciculus nostrarum operationum et paleæ aspicias seligendæ. Cædat unusquisque et excutiat semetipsum ac removeat paleam, quæ maculat conscientiam et igni purgandam tradit animam. Sic fiet ut brevi tempore magnum virtutum acervum sibi comparet, habeatque unde æternum vivat.

CONCIO VII.

SACERDOTES SANCTOS ESSE DEBERE.

- I. Quia Deum in terris repræsentant. — II. Quia Deo dicati. — III. Quia mediatores inter Deum et homines. — IV. Quia tractant sancta. — V. Quia ipsi debent alios sanctificare.

THEMA.

Piscatores autem descenderant, et lavabant retia
Luc. V.

Libro IV. Reg. capite XXII. legimus Josiam regem bonum ac pium, cum allatus ei esset liber legis, inventus in templo, et lectus coram eo, conturbatum esse, et scidisse vestimenta sua ac dixisse Helciæ sacerdoti et aliis: «*Ite et consulite Dominum super me et super populo, et super omni Juda de verbis voluminis istius,*

quod inventum est. Magna enim ira Dei succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis. » Hoc ego, auditores, sacerdotibus dictum volo. Inveni enim in libro legis tremens ipse ac stupens, verba Domini Dei omnibus sacerdotibus adeo pertimescenda, ut si ea audierint, jure etiam ipsi scindere vestes suas possint, vel certe conturbari debeant. Quid enim inquit liber ille: *Loquere ad sacerdotes*, ait Levit. XXI. *ne contaminetur sacerdos, etc.* et iterum: *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus*: et rursus: *Ego Dominus, qui sanctifico eos*, id est, jubeo esse sanctos: similiter Exod. XIX. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos*: et Lev. X. *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi*, id est, puniam sacerdotes, qui sancti esse deberent, et non sunt. Quem quæso hæc tonitrua non terreant? Adde hodiernum evangelium; ex quo discimus, piscatores animarum munda habere corda debere, quod docent piscatores dum laverunt retia sua. Itaque vos sacerdotes, ite et consulite mecum Dominum super nobis et statu nostro. Magna enim Dei ira succensa est contra nos, qui forte hucusque ignoravimus, quales esse debeamus, si non simus tales, quales nos esse jubet Deus.

I. Sancti sint sacerdotes. Quia Dei personam in terris repræsentant, uti patet in s. missa, in qua consecrant in persona Christi, ipsiusmet verbis: *Hoc est corpus meum*. Et quemadmodum Christus sacrificio suo cruento semel nobis placavit Patrem; ita ipsi (suo modo) sacrificio incruento eundem quotidie placant. Novimus autem eos, qui personam alicujus regis aut principis repræsentant, graviter et circumspecte sese gerere, ac quantum fas est, principis sui majestatem et mores exprimere, cavereque ne quid agant, quod ejus auctoritatem possit imminuere. Atqui nos: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*, ait apostolus, II. Cor. V. Ergo adlaborandum nobis, ut Christum ipsum in moribus nostris, quantum fieri potest, exprimamus, nihilque committamus quod in ejus contemptum possit redundare. Ideo enim Lev. XXI. dicitur: *Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus*: Dei scilicet, in quem redit eorum levitas. Hinc Constantinus Magnus: *Sacerdotum iudicium, aiebat, ita haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet; nihil enim licet his aliud sentire, nisi quod Christi magisterio sunt edocti*. Refert Optatus Milevit. l. I. contra Parvina; et S. August. epist. LXVIII. idem de iisdem dixit: *Vos nobis a Deo dati estis dñi, et convenienti non est, ut homo iudicet deos, Ruffinus apud Baron. anno CCCXXV. Hinc viri boni et*

religiosi non facile adduci possunt, ut de gravi delicto suspectos habeant sacerdotes. Illustrissimus cardinalis Bellarminus, cum sacerdos apud eum impudiciæ accusaretur, isque se immunem ab hoc scelere testaretur, dicenti acquievit, eo quod diceret: *Sacerdotis in ore mendacium existere non posse*. Refert Marcellus Cervinus, in ejus vita, cap. XXIX.

Hæc conditio etiam veteri in lege, (uti et aliæ sequentes in aliis symbolis) sacerdotibus insinuata fuit in zona summi sacerdotis, qua præcingebatur, et in qua repræsentabat Christum, qui Apoc. I. zona præcinctus aurea apparuit Joanni.

II. Quia Deo dicati, donati et sanctificati sunt, ut dicat nomen eorum sacerdos. Hoc idem in vestibus summi sacerdotis olim significabat tiara ejus, in qua ad frontem insculptum erat aureæ lamina: *Sanctum Domino*, q. d. sanctus erit Deo suo, ut Levit. XXI. habetur, id est, dicatus et sacratus. Quod autem Deo offerebatur immaculatum esse debebat: *Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino*, Levit. XXII. Quare, c. XXI. præcedente hoc ipsum sanxit Deus de sacerdotibus: *Qui habuerit maculam, inquit, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo*. Jam: «*Cæcus est, ait S. Gregor. I. p. pastor, c. ult. qui supernæ contemplationis lumen ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspiciat, quo gressus operis porrigat, nescit. Claudus vero est, qui quidem quo pergere debeat, aspiciat, sed per infirmitatem mentis vitæ viam perfectæ non valet tenere, quam videt: quia ad virtutis statum dum fluxa consuetudine non erigitur quo per desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est, naso quippe odores fœtoresque discernimus. Nasus grandis et tortus est, discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plus quam decet exereverit, actionis rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede, vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet, atque a bonis actibus funditus exors vacat: quatenus hæc non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimode alienus existat (vel ut S. Cyrillus, l. XII. de adoratione ait: Qui non integre ad probas actiones graditur, sed opus Dei facit imperfecte et negligenter.) »*